



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXVI. Alexandri Papae III. Ad Wilielmvm Episcopvm Senonensem Apostolicae Sedis Legatvm. Purgat calumniam illam, qua dicebatur suo mandato Londoniensem episcopum absolutum esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

debuistis, aggrauastis potius causam eius, & super dolorem vulnerum eius (quod mœrentes dicimus) addidistis. In quo facto, si contra personas vestras, non quantum culpa exigit, moueamur, pertransire tamen hoc sub silentio non debemus, ne forte, quod Dominus auertat, & nos & vos sententiæ diuinæ seueritatis addicat, si ea quæ in ecclesiis omnium perperam acta sunt neglexerimus vindicare. Noueritis itaque vos tamdiu ab episcopali officio commissa nobis a Deo auctoritate suspensos, donec ad sedem apostolicam de tanto excessu satisfacturi accedatis, nisi præfato archiepiscopo ita satisfacere curaueritis, vt pœnam istam ipse iudicet relaxandam.

## EPISTOLA XXXVI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM EPISCOPVM SENONENSEM  
APOSTOLICÆ SEDIS LEGATVM.

Purgat calumniam illam, qua dicebatur suo mandato Londoniensem episcopum absolutum esse.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto filio Vvilielmo episcopo Senonensi, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.*

**L**ITERAS quas nobis super negotio venerabilis fratris nostri Cantuariensis archiepiscopi deuotio tua transmisit, gratanter admisimus, & eas diligenter curauimus ac studiose audire. Verum quoniam Londoniensis episcopus ad nos nequaquam accessit, nihil de causa sua statuimus. Sed si ad nos venisset, nos iam dicto archiepiscopo, Cantuariensi videlicet, quantum salua conscientia nostra fieri posset, suam iustitiam studeremus conseruare. Qualiter autem in causa ista processimus, ei iam ex parte, nec non & carissimo in Christo filio nostro Ludouico illustri Francorum regi, (sicut tibi viua voce iniunximus) satis credimus innotuisse. Nos enim nihil inde post discessum tuum mutauimus, nec in posterum duximus immutandum, licet præfatus Anglorum rex nos exinde per consules Lombardia, qui vna cum nuntio coram nobis præsentem erant, nec non & per nuntios carissimi in Christo filii nostri Manuëlis illustris Constantinopolitani imperatoris instantissime

solicicaret, vt ei tempus deberemus aliquantulum prolongare. Et quoniam ipsius archiepiscopi causam nostram & ecclesie reputamus, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus venerabiles fratres nostros Rothomagensis archiepiscopum & Niuernensem episcopum super diligenti ac festinanti executione precepti nostri studiose commoneas, & viua voce vel literis, si vtrumque non poteris presentem habere, instantius exhorteris. Quod si adhuc in negotio illo nullatenus processerunt, tu ipsos ex parte nostra durius increpes, & grauius redarguere non omittas. Si autem eos in prelibati regis terram sententiam interdicti iuxta preceptum nostrum proferre contigerit, tu eam per eiusdem regis terram, quam in tua prouincia habere dignoscitur, omni excusatione & appellatione remota, firmam & inconcussam obserues, & ab omnibus facias, quantum in te est, irrefragabiliter obseruari.

## EPISTOLA XXXVII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM  
CANTVARIENSEM.

Alteram calumniam, qua dicebatur mandato pontificis filium regis ab Eboracensi archiepiscopo coronatum esse, diluit.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto filio, &c.*

**V**IRTUTIS & fidei constantiam & fortitudinis animum, quem pro libertate ecclesie tue conseruanda induisse cognosceris, studiosius attendentes, tibi tamquam fratri carissimo, super his que ad conseruationem & augmentum ecclesie tue spectare noscuntur, libenti animo consilium & auxilium impendimus, & contra eos, qui iura & dignitatem eiusdem ecclesie minuere vel perturbare nituntur, apostolicæ tuitionis preidium diligenti studio volumus ministrare. Audiuius autem & certa relatione comperimus, quod Eboracensis archiepiscopus contra prohibitionem & interdictum nostrum Henrico filio illustris Anglorum regis in prouincia tua coronam imposuit. Quia vero ex hoc iuri & dignitati ecclesie tue immoderate asseris & enormiter derogatum, nos in hac parte tam

*Concil. Tom. 27.*

Oo ij